

Johannes de Stuchow a nobis in feudum tenuit — pro triginta quatuor sexagenis grossorum Fribergensium eidem Johanni de Stuchow suisque conthorali et heredibus integraliter solutis vendidit venerabilibus viris dominis Nicolao decano totique capitulo ecclesiae Misnensis, quem quidem censum idem Johannes constitutus coram nobis — wie No. 656 — appendenda, praesentibus et testibus strennuis et honestis viris Reynhardo de Richinstad, Heynrico de Gruzzen, Johanne de Ybenwicz, advocato nostrorum burgrauorum praedictorum, domino Petro Gastmeister de Gubin presbytero, Henrico Rudolphi de Møgelin et Henrico Laurentii de Döbelin, clericis Misnensis diocesis. Actum et datum Misnae anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo nono in die omnium sanctorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln wie No. 656.

No. 658. 1379. 21. Dec.

*Das Capitel ordnet auf Ansuchen der Vollstrecker des Testaments des Domherrn Fr. von Miltitz, welche eine Handschrift der Bibel übergeben, die solenne Feier des Festes der Beschneidung Christi an und bestimmt die deshalb den Kirchendienern aus den Capitelseinkünften zu gewährende Vergütung.*

In nomine domini amen. Nos Nicolaus dei gratia decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis — notum esse volumus — quod cum . . . testamentarii et ultimae voluntatis executores honorabilis quondam viri domini Friderici de Milticz, praepositi Wurczinensis nostri concanonici, nobis capitulariter congregatis ad nostram praesentiam accessissent et nomine eiusdem quondam domini Friderici in remedium animae suae suorumque progenitorum quatuor volumina bibliae sacrae cum quodam libro expositionis vocabulorum per eundem quondam dominum Fridericum derelicta et olim propriis suis denariis, expensis et impensis sumptuose comparata, nobis nostroque capitulo et ecclesiae perfecta donatione liberaliter et pie obtulissent, tradidissent et donassent sub eo modo, ut festum circumcisionis dominicae, quod retroactis temporibus in nostra ecclesia dumtaxat dominicaliter teneri consueverat, ob devotam ipsorum instantiam ipsiusque festi et diei, quo pro communi omnium salute fidelium dominus Jhesus Christus primum fudisse sanguinem creditur, specialem reverentiam de cetero et in antea perpetuis utique temporibus cum magna praepulsatione, dominorum provisione et ministratione, cantu in organis, ornamentis et praeparamentis missalibus aliisque omnibus et singulis sollempnitatibus, sicut ipso die nativitatis Christi nullo penitus excepto, festivaliter et omnino sollempniter peragere, festivare et sollempnizare dignaremur, secundum ordinem tamen de festo praedicto alias in nostro breviario contentum, eo dumtaxat adiecto, quod responsorium ‚verbum caro factum est‘ in primis et secundis eiusdem festi vesperis modis omnibus observetur et sollempniter decantetur, et quod etiam per procuratorem nostri capituli, qui pro tempore fuerit, de redditibus nostris capitularibus in omnem eventum custodi pro luminaribus duo grossi cum quinque hallensibus, campanatori ut sollempniter pulset tantum, subcustodi unus grossus, rectori scolarium unus grossus, cantanti in organis unus grossus, et calcantibus in eisdem similiter unus grossus, ut omnia, prout ad quemlibet pertinet,